

ut eadem persona per totam fabulam, nisi gravissima aliqua causa impediante, ab uno acta fuerit histrione. Atqui in Oreste sine dubio difficillimae sunt Phrygis partes: has ergo primarius actor habuisse censendus erit. De ceteris personis apertum est quae simul in scena conspiciuntur, a diversis histrionibus esse actas. Enumerabo scenas appositis nominibus personarum, quae ubi tacentes adsunt, cancellis includam. 1. Electra, (Orestes.) 2. Electra, Helena, (Orestes.) 3. Electra, chorus, Orestes. 4. Menelaus, Orestes. 5. Menelaus, Orestes, Tyndarus. 6. Menelaus, Orestes. 7. Orestes, Pylades. 8. Electra, nuntius. 9. Electra, Orestes, Pylades. 10. Electra, chorus, Helena intus, Hermiona, Orestes. 11. Orestes, Phryx, chorus. 12. Phryx, Orestes. 13. Menelaus, Orestes, (Pylades.) 14. Menelaus, Orestes, Apollo. In decima scena quod fores aperiens Orestes dicit: *σιγᾶν χρεῶν· ἡμῶν γὰρ ἴκεις, οὐχὶ σοὶ σωτηρία*, potuit Electrae tribui, quae C. Lachmanni sententia est in libro quem de mensura tragoediarum scripsit p. 53. Apparet ex his Electram in scena esse cum Oreste, cum Helena, cum Pylade, cum nuntio, cum Hermiona; tres simul in scena conspici Electram, Orestem, Helenam; item Menelaum, Orestem, Tyndarum; Electram, Orestem, Pyladem; Menelaum, Orestem, Apollinem. Ex quibus efficitur, si et Phrygem primarius actor egit, et quam quis actor personam agere coepit servata ab eo est per totam fabulam, primarii actoris fuisse Electram, Tyndarum, Phrygem, Apollinem; secundarii Orestem et nuntium; tertii Helenam, Menelaum, Pyladem, Hermionam. Nam ille locus, in quo quarta conspici persona videtur, in extrema scena v. 1636. non actorem, sed simulacrum aliquod Helenae in aethere ostendebat. Id fortasse *παραχορήγημα* dicant